



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrum Misericordiae Palativm

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi
peristromatibus exornatum

Gzaeus, Nicolaus

Augustae Trevirorum, 1618

Deuota ad Virginem Mariam Misericordiae Matrem supplicatio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54477)



DEVOTA AD VIRGI-
NEM MARIAM MISERI-
CORDIÆ MATREM SUP-
plicatio.

N fideles, naturæ dumtax-
at lumine illustrati, arduū
nihil, nullum momenta-
neum aggrediebātur, nisi
dijs (quos immortales ar-
bitrabātur) litatum esset:

Et ego Christianus, sacrae fidei lumine,
perlustratus, sacrorumque dogmatum sci-
entia imbutus, misericordiae splendidum
exstructurus, palatium, (palatium dico
quoniam in Caelis misericordes sibi domi-
ciliū parant) audebone prius terram in-
tueri, quàm cœlum ut auxilium & opem
ferat, implorauero? Nequaquam, sed Di-
uum Bernardum docētem, discipulus ma-
gistrum sequar, qui ait: *Aspice stellam vo-* Sup. missus est.
ta Mariam. Hanc intuebor, huic syde- hom. 2.
rex claritati adhærebo. Agedum Regale
Christi palatium, misericordiae fons & o-
A rigo,

2 SACRVM MISERICOR.

rigo, Virginitatis mater, ad tuę charitatis, pedes prostratum, tuę bonitatis pedibus aduolutum ne despice. Fer auxilium quod supplico, fer opem quam deprecor. Nihil enim sine te possum, nisi tuo fultus adiutorio ad scopum operum meorum primitias deducere non valebo, tanto enim arbitror me prorsus indignum honore. Ideo verbi mater, Virgo immaculata, vota suscipe preces exaudi; Quis enim votorum suorum finem assequetur non inclinatus? Si vt ait Aristippus cuidam quem Dionysius^a exspectationis spe fraudauerat Reges & Reginę in pedibus aures habent; quis cristallini fontis per amena herbarum decurrentis aquam nõ curuatus haurire potest? Et ideo tuę bonitatis pedibus aduoluo, vt misericordię potatis aquis, eructem fontem, misericordię palatio adiutorē, quod quidem exstruere volens, quam decentius patronam suscipiam quàm ipsius misericordię matrem? Illa namq; est quę filium vt operi gratiam, ædificio augmentum cōferat, imploratura est. Te itaque solam intueor misericordię Reginam, te solam rogo & deprecor hac Ecclesię voce: *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Conuerte oculos, nec auertam ego, nulla enim
crea-

PALATIVM.

3

creatura est quæ longitudinē, latitudinem,
 profunditatē, misericordię sic inuestigare
 potest quemadmodum compræhendisti,
misericiordię siquidem patrem mensibus no- *2. ad Corinth.*
uenæ aluo sacratissimo inclusum portasti, 10.
 qui Psalmista testate misericordiæ largitor
 est & dator: *Suscipimus Deus misericordiam* *Psal. 47.*
tuam in medio templi tui. Si Christum mise-
 ricordiam Dei &c. profiteamur: ait Bernard:
 si eiusdem Christi Dei & hominis genitri-
 cem agnoscimus, cur non charissimam &
 sanctissimam eius genitricem hoc etiam
 honore dignabimur, ut misericordiæ ma-
 trem prædicemus? Quod cum ita sit tuo
 me dignare fulcire pia mater patrocinio ut
 hoc opus quod te fauente aggredior Le-
 ctorum cordibus misericordiæ & charita-
 tis imprimat opera. Ne quæso solitum
 subtrahas auxilium, sed memoriæ sterili-
 tatem, misericordiæ fonte refrigera, con-
 ceptibus meis faue, calamum tuo, tuique
 Filij, & precipuè quidem mancipatum
 obsequio dirige, cui soli honor
 erit, mihi labor mer-
 ces erit.

A 2 PRI-